

ORATIO  
DE LOTHARI  
SAXONE,



RECITATA A CLA-  
RISIMO VIRO IOHANNE  
SCHNEIDEVVEIN I. V. DO-  
ctore, & Professore in Academia  
Vuitebergensi, cum insignia Doctora-  
tus in vtroq; Iure conferret doctrina &  
virtute præstanti viro VICTORI  
OTTINGEN Reualiensi, Die  
3. Februarij, Anno Domi-  
ni 1561.



VVITEBERGÆ  
EX OFFICINA HÆREDVM  
GEORGII RHAVV,  
M. D. LXI.

(x 7997893)





I, vt homines oderunt  
leges, cupiuntq; dele-  
tas, ita mox omnis ea-  
rum doctrina è scholis  
eijcienda, & autoritas  
tollenda esset è genere  
humano, iam dudum euerso toto ordine  
politico, extinctis iudicijs, disciplina,  
studijs virtutum & honestarum arti-  
um, dissipata totius generis humani so-  
cietate, pro humanitate & iusticia re-  
gnaret plusquam Scythica barbaries,  
beluina feritate, atq; immanitate Cy-  
clopica armata. Omnino agreste atq;  
efferum vulgus, & naturæ nondum ci-  
curatæ magno ardent legum ac discipli-  
næ odio tanquam duri carceris, quod à  
naturæ prauitate ortum, magis confir-  
matur à Diabolo & mala consuetudi-  
ne: acuitur verò & efferatur, cum ser-  
monibus eorum, qui Legibus & Ma-  
gistratu

gistratui conuiciantur atq; obtrectant,  
tum exemplis conculcantium petulan-  
ter disciplinam.

Sunt autem tria præcipuè homi-  
num genera legibus infensa. Vnum Cy-  
clopicum eorum, qui, vt apud Plato-  
nem Hippias, legem accusant tanquam  
Tyrannum, à cuius præscripto discedere  
non liceat. Nec scripto iure opus esse,  
& huius interpretatione, quæ doctrina  
Iurisconsultorum exponitur: Sed tum  
in vita ac moribus hominum formandis  
ac regendis, tum in rebus administran-  
dis ac iudicandis, sequendam esse natu-  
ram ducem, & arbitrium vniuscuiusq;  
contendunt, cui tantum tribuunt ac  
confidunt, vt non vereantur id autori-  
tati legum anteferre, scilicet huius præ-  
textu anhelantes ad illam ipsam tyran-  
nidem, quam in leges falso conferunt.  
Nam legum autoritate cæcis ipsorum  
affectibus

nt,  
an-  
mi-  
y-  
to-  
im  
re  
e,  
na  
m  
lis  
na  
u-  
q-  
ic  
i-  
e-  
n-  
t.  
n  
s

affectibus vincula iniici, metasq; cir-  
cumdari potentiae aut licentiae, quam  
appetunt, ferunt grauissimè.

Alterum hypocriticum est eorum,  
qui similem tyrannidem religionis titulo  
quæerunt. Nam dum leges Romanas  
tanquam à Repub. Christiana alienas  
eleuant, & explodi volunt atq; exter-  
minari ab eo cœtu, in quo est Ecclesia  
Dei, hoc moliuntur, vt abolitis legibus  
& horum interpretibus submotis, ipsi  
in eorum vestigia succedentes, vel tan-  
quam interpretes Mosaicarum legum,  
vel vt iudices ἀνωπύθουνοι soli dominantur  
in aulis Principum & Rebuspublicis,  
& suo arbitrio gubernent vniuersa.

Tertium est promiscuum vulgus,  
quod vt natura ferum atq; indomitum  
est, ita nec disciplinae iugum, nec legum  
frenes libenter admittit, & in gyrum  
duci, ac concludi repagulis effrenes im-

petus animorum ægrè patitur, cui, ut  
præsens imperium omne graue est, sicut  
apud Thucydidem dicitur: ita & quæ-  
rit & cupidissimè amplectitur Anar-  
chiam omnem, quæ quauis est Tyranni-  
de grauior ac perniciosior, & ad occas-  
siones quascunq; velut effractis repagu-  
lis, erumpit extra metas, ferturq; ac-  
ruit, quo cæco incitatur impetu.

Contra talium hominum iudicia  
& furores muniant sese iuniores consi-  
deratis legum fontibus, & pensitata to-  
tius ordinis politici dignitate, & mag-  
na cura se assuefaciant ad amorem &  
reuerentiam legum: Furores autem eo-  
rum execrentur, qui eam sapientiam,  
quæ in libris Iurisconsultorum contine-  
tur, oderunt & contemnuunt. Non sunt  
leges tyrannica vincula, humana vel  
astutia fabrefacta, vel autoritate sanc-  
ta, ut cupiditatibus potentum adulen-  
tur,

ut  
ut  
ae  
ur  
ni  
as  
uo  
ac  
ia  
ia  
na  
ra  
T  
a  
a  
l  
a  
y

tur, & horum arment ac stabiliant ty-  
rannidem contra imbecilliores. Et sce-  
lerata est vox, quam his versibus ex-  
pressit Politianus:

Inuentum Attæi dicuntur iura Draconis,  
Vera nimis fama est, nil nisi uirus habent.

Neq; imperia, aut de fortuito ac te-  
merario concursu hominum extiterunt,  
aut sola vel sapientia vel violentia hu-  
mana constituta sunt ac sustinentur, aut  
cùm ruunt, casu intereunt: sed legum  
fontes Deus ipse generi humano mon-  
strauit, cum suæ lucis & sapientiæ ra-  
dios in mentes nostras transfudit. Hi  
radij de duabus rebus nos docent.

Primum, quòd sit Deus mens  
æterna, intelligens, sapiens, gradus res-  
rum ac personarum distinguens ac di-  
stribuens ordine ad consociationem ne-  
cessario, sanciens discrimina actionum,  
secernens bona à malis, iustus, benefi-

A 4                      cus,

cus, verax, castus, qui detestatur horribiliter omnem ordinis sui confusio-  
nem, & in facinorosis, ordinis pertur-  
bationem pœnis atrocissimis severissi-  
mè vindicat.

Secundò hos ipsos radios diuinæ  
sapientiæ idcirco insitos esse mentibus  
nostris, vt archetypi imaginem expri-  
mant, in qua Deum contemplemur, &  
vt bona quæ in eo summa sunt, agnosca-  
mus atq; æstimemus ex ijs, quæ nobis  
impertiuit, intelligentia dydicante  
vera à falsis, bona à malis, honesta à  
turpibus, libertate voluntatis, noticia  
ordinis & numerorum. Deinde vt sint  
norma, ad quam dirigamus, modere-  
mur atq; accomodemus actiones no-  
stras, quas cum hac sua sapientia De-  
us congruere vult, sicut ad certas stel-  
las nautæ cursus nauium inflectunt, ne  
incertis affectuum fluctibus impulsī  
atq;



atq; iactati vagemur atq; erremus sine  
duce : Non vult enim negligi Deus  
considerationem reliquiarum imaginis  
suae in homine , & expressum in hac  
consilium ipsius & voluntatem. Non  
vult ruere homines extra metas , quas  
radijs suae sapientiae ipse definiuit , Nec  
de hac DEI voluntate aliter iudicat  
mens non prorsus Cyclopica aut fera, si-  
cut Plato elegantius & verius quam  
caeteri, beatitudinis humanae finem sta-  
tuit ὁμοίωσιν τῷ θεῷ καὶ τὸ δύνάτορ, id est,  
conformitatem cum Deo , quantam ef-  
fingere ac praestare viribus suis ad ex-  
emplum impressae imaginis homo po-  
test.

Ex his reliquijs sapientiae diuinae,  
quanquam attenuatis & obscuratis la-  
be naturae corruptae , non extinctis ta-  
men , sicut aliqui nouo furore conten-  
dunt , sunt extractae Leges , quas cum

nomino, non intelligo leges cum norma  
diuina pugnantes, qualis illa fuit Syba-  
ritarum: Nemo nostrum frugi esto: aut  
Scytharum, de parentibus senio con-  
fectis, maētandis: aut Lycurgi apud  
Spartanos, quæ concedebat pacisci cum  
alterius coniuge: Sed cūm aliarum gen-  
tium honestas leges, tūm verò in primis  
nostras Romanas intelligo, quas affir-  
mo esse Dei sapientiam, propositam ge-  
neri humano, per eos gubernatores, quo-  
rum mentes afflatu commouit & rexit  
singulari Deus, vt iusticiæ fontes inqui-  
rerent, & ex his perspectis formam &  
vsum iusticiæ generi humano demon-  
strarent atq; explicarent. Nam ex his  
diuinitus patefactis fontibus, vel firmis  
demonstrationibus, vel rationibus non  
alienis à demonstratione, deriuatæ sunt  
atq; detextæ leges Romanæ, & cum  
Decalogo consentiunt.

Nec

Deu  
hoc  
rum  
mul  
strib  
mion  
ta le  
Sic  
ceu  
dist  
legu  
plic  
aly  
na  
mij  
tuò  
tur  
rum  
eum  
rita

Nec legum tantum sapientiam  
Deus aperuit generi humano : sed vt in  
hoc mundi systemate cœli & elemento-  
rum positus, totamq; causarum seriem  
multiplici earundem distinctione eo di-  
stribuit atq; contexit ordine, vt subli-  
mioribus inferiores, et subiectæ sint cer-  
ta lege, & nexu admirando cohæreant:  
Sic genus humanum magna ordinum  
eiu graduum varietate in certas classes  
distinctum coniunxit atq; deuinxit sese  
legum nexibus, et alijs vinculis multi-  
plicibus, imperijs, in quib: alij præsumt,  
alij obediunt suo loco atq; ordine, doctri-  
na virtutum, contractibus, iudicijs, præ-  
mijs, pœnis. Huic societati adest perpe-  
tuò, & ordinem à se constitutum tue-  
tur ac munit aduersus furores Diabolo-  
rum ac turbulentorum hominum, ad  
eum modum, vt excitet ipse, & auto-  
ritatis atq; sapientiæ viribus instruat  
legum

legum defensores atq; interpretes, qui,  
cùm opus est, laxatos disciplinæ nervos,  
rursus astringant, incisos restituant.  
Et si vel eludatur autoritas, vel impe-  
diatur conatus magistratum, ipse fa-  
cinorosos mirificis occasionibus ceu in-  
nassam illectos & irretitos, rapit ad  
supplicia.

Cùm ergò de ordine politico dicitur,  
non tantum intueamur distinctos  
hominum gradus: sed complectamur  
& Deum autorem ordinatæ consocia-  
tionis ac fontem legum, & leges ipsas  
atq; harum doctrinam, quibus tota ceu  
Idea ordinis politici descripta est, &  
personas ordinis custodes, quæ præstant,  
ne quid turbetur, neue interrumpatur  
aut labesiat ac dissoluatur hæc societa-  
tis humanæ velut compages. Leges  
Oeconomicas & politicas generi huma-  
no, vt mirandorum motuum atq; effe-  
ctionum

Etio  
posu  
cau  
sona  
Et  
con  
cent  
præ  
amo  
in ca  
dolo  
con  
tur  
furo  
tuti  
hum  
nas  
uit,  
gun  
sese  
qui

Etionum leges, naturæ Deus ipse im-  
posuit: utq; in natura seriem & vires  
causarum, sic in societate humana per-  
sonarum gradus ac munera discreuit.  
Et ut naturam sustentat: sic humanam  
conseruat societatem. Nec minus lu-  
cent in his ordinationibus prouidentia,  
præsentia, sapientia, bonitatis, &  
amoris Dei erga nos vestigia, quàm  
in cæteris naturæ partibus: etsi pro-  
dolor, crebrioribus hæc & tetrrioribus  
confusionibus turbantur, quæ excitantur  
à Diabolis & hominum malorum  
furoribus. Ordinis autem à se consti-  
tutiones & causas ostendit generi  
humano in ea sapientia, quam in huma-  
nas mentes indidit ac velut consigna-  
uit, ex qua effulsit lumen sapientia le-  
gum. Et tuetur hunc ordinem cum per  
se, tum per idoneos homines, quorum,  
qui ad gubernacula sedentes, legum vo-  
cem

cem sonant & exequuntur, Magistratus : qui his legum vocem declarant, Jurisconsulti sunt.

Hæc Dei beneficia agnoscentes, DEO autori gratias agamus, eumq; oremus, vt concinnatam magna sapientia harmoniam pulcherrimi ordinis, depulsis Diabolis & malorum hominum turbulentis molitionibus discussis, contineat ac fulciat, ne fatiscat ac dilabatur. Foveat & studia doctrinae Legum, & idoneos his constituat interpretes, qui sint veri iustiq; amantes, & alieni à Sophismatum præstigijs. Largiatur & tranquilla tempora studijs, nec barbarie Turcica aut Moscouitica disciplinam & leges deleri, & vastitatem in his terris effici sinat.

Hæc præfatus sum prolixius, vt Iuuentus discat Legum doctrinam pertinere ad politici ordinis conseruationem,

nem, & à Deo ortam esse, Et vt his  
commonefactionibus excitata, assuefa-  
ciat se ad hæc tanta munera pijs preci-  
bus à Deo petenda, ac præstet libenter  
reuerentiam atq; obedientiam Legibus  
ac legum custodibus, colat doctrinam  
Legum, & caueat mala exempla ac  
scandala, quibus aut labefactantur aut  
dissipantur bonæ constitutiones, ac le-  
ges obruuntur. Tales enim commone-  
factiones præcipuè in his solennitatibus  
repetere conuenit, & nostri ordinis  
sunt propriæ, quibus legum cura atq;  
explicatio commendata est.

Cùm autem vsitatum sit in his con-  
gressibus aliquid dicere, quo vel ad  
amorem doctrinæ legum inuitentur Iu-  
niores, vel de aliqua doctrinæ parte  
erudiantur, vel celebretur memoria eo-  
rum, qui præclarum aliquid pro Repub.  
gesserunt, aut ex vsu & dignitate Rei-  
publicæ

publicæ constituerunt, decreui recitare  
historiam Lotharij Saxonis, in qua  
cùm multa sint memoratu digna, tùm  
hoc præcipuè laudabile est, quod legum  
Romanarum doctrinam, temporum in-  
iurijs intermissam, è tenebris reduxit  
in lucem, atq; ad culturam reuocauit &  
vsum, à situ squalloreq; repurgatam.  
Incidit ætas eius in turbatissimas res  
patriæ, quæ Germania horribiliter di-  
stracta, Imperij viribus eneruatis atq;  
comminutis, Imperatorum autoritate  
labefactata & potentia accisa, Ponti-  
ficum Romanorum & Episcoporum  
tyrannide confirmata, omnem penè, quæ  
reliqua fuit, maiestatem Imperij euer-  
terunt. Pontifices enim sceleratè abusi  
hac tyrannide, non tantum crudeli su-  
perbia, atq; audacia detestandæ impro-  
bitatis plena, conculcarunt Imperatores  
anathematum fulmine territos, & con-  
citatiss

cita  
Eton  
bel  
ciu  
dar  
bol  
san  
Et i  
hor

pat  
gio  
No  
Imp  
Sax  
cult  
niæ  
nat  
scop  
Ro



citatis in eos subditis, cruentorum edic-  
torum promulgationibus, Germaniam  
bellis intestinis inuoluerunt, de quibus  
ciuili sanguine pene omnes anguli inun-  
darunt: Sed etiam furore prorsus Dia-  
bolico, cælo bellum intulerunt, decretis  
sancitis contra filium Dei, & huius in-  
stitutis aut deletis aut profanatis, aut  
horribilium Idolorum cultu obrutis.

Sed ad Lotharium venio. Is est  
patre Gebhardo, Comite Supplebur-  
gio, matre filia Friderici Burggrauij  
Norici castri, paupere regno natus ad  
Imperium magnum, eo tempore, quo  
Saxonia bellis arsit, quæ primùm oc-  
cultâ conſpiratione Principum Saxo-  
niæ, postea aduersationibus & machi-  
nationibus apertis, & illorum & Epi-  
scoporum in Germania ac Pontificum  
Romanorum incensa, & Pontificibus

B

odia

odia alentibus atq; exasperantibus, longè lateq; grassata, non Germaniam tantùm cædibus, incendijs ac direptionibus deuastarunt: sed & familias totas deleuerunt & Imperij formam mutauerunt. Longa est iniuria, longæ ambages, longa malorum, quæ inde extiterunt, series. Sed causas paucis perstringam.

Vetustissima consuetudine inde usq; à temporibus Constantini Magni obseruatum fuit, vt nulli munus Episcopi vsurpare in orbe Christiano liceret, nisi assensu & autoritate Imperatoris confirmato. De hac consuetudine, cùm Carolus Magnus Imperium Occidentis occupasset, ita inter ipsum & Episcopum Romanum conuenit, vt titulum & autoritatem Oecumenici Romani Episcopus retineret, & procuraret ea, quæ ad res sacras, ministerium scilicet doctrinæ,

doctrinae, & disciplinae Ecclesiasticae  
gubernationem pertinerent. Sed ius  
constituendi Episcopos veterum Impe-  
ratorum exemplo, Carolo & posteris  
relinqueretur, Nec vlla vllius, etiam  
ipsius Romani Episcopi electio habere-  
tur rata, si Imperator non assensisset,  
Nec electo liceret aut Synodos Episco-  
porum conuocare, aut in rebus vel in  
ritibus Ecclesiae mutare quid vel con-  
stituere sine consilio & approbatione  
Imperatoris. Haec vt expresso consensu  
vtrinq; sancita, ita à Carolo posteris,  
magno defensa & conseruata sunt stu-  
dio, ac seueritate magna, contra Pon-  
tifices, qui mox à Carolo haec pacta atq;  
conuenta primò callidè arrodere, mox  
violenter infringere tentarunt. Cumq;  
ad Saxones dignitas Imperij translata  
esset, eadem renouarunt Ottones, pri-  
mus & tertius. Extat enim insertum

iuri Pontificio decretum, vbi Hadria-  
ni primi exemplo, conferre se dicit  
Pontifex Ottoni Cæsari potestatem eli-  
gendi Papam, constituendi sedem Apo-  
stolicam, & Episcopos confirmandi, si-  
mulq; pœnam indicit & statuit illis gra-  
uissimam, qui non expectato Cæsaris  
suffragio Episcopos consecrarent. Hæc  
constitutio quantum profuerit ad Ec-  
clesiarum & Imperij tranquillitatem,  
ostendunt ambitiosa certamina Ponti-  
ficum, quæ deinceps secuta, Italiam ob-  
iecerunt direptioni peregrinarum gen-  
tium: Germaniam consistere & con-  
quiescere nunq̃ permiserunt. Certè Gallia  
quæ in hac consuetudine nihil immutari  
passa est, neq; Episcopis potentiã vllam  
cõtra veteres rationes cõcedi voluit, hoc  
nomine, quàm nostra Germania multò  
fuit beatior & tranquillior. Sed impa-  
tenter tulerunt Pontifices hanc serui-  
tutem,

tut  
om  
qu  
deb  
ca  
ma  
eni  
pro  
Et  
bus  
re  
Ep  
ren  
pos  
æp  
ma  
ma  
cu  
tu  
Im  
us



tutem, qua cum præcludi sibi aditum  
omnem ad eam potentiam cernerent,  
qua sese oppressuros Imperatores confi-  
debant, nihil mouere & moliri datis oc-  
casionebus destiterunt, quo ius confir-  
mandi Episcopos in se transferrent. Id  
enim si perfecissent, non fore difficile  
prospiciebant, quando vellent, aut ele-  
ctionem impedire Imperatorum, de qui-  
bus deliberaretur, aut electos, quos fer-  
re nollent, repellere, Germania per  
Episcopos commota. Cùm autem hanc  
rem sæpè tentassent frustra, tandem  
post Henrici III. mortem adepti &  
ἀφορμὴν rei perficiendæ accommodissi-  
mam, & prophasim speciosissimam,  
magno demum serioq; conatu in eam in-  
cumbere cœperunt. Ardebant odijs mu-  
tuis Franci & Saxones ex æmula de  
Imperio contentione, quæ odia non pri-  
us sanari potuerunt, quàm extirpatis

B 3

radici-

radicitus vtrisque, cum vtrisque sepelirentur. Franci excussis posteris Henrici Aucupis occuparant Imperium. Id Saxonibus & graue erat & acerbum, vt qui non obedire, sed imperare longo tempore & didicerant & consueuerant.

Reliquerat autem Henricus III. impuberem filium Henricum quartum. In hunc conspirant Saxones, & veteribus incitati odijs & irritati nouis iniurijs eorum, qui Imperium tutorio nomine administrabant, vt fit, insolentius, & allecti in spem rei conficiendæ immatura ætate Regis pueri. Horum odia magis magisque inflammabat Otto Bauariæ Dux, origine Saxo, Comes Northemij & dominus terrarum ad Visurgim, quem Henricus, cum paululum adoleuisset, conspirationis & affectati Imperij criminis cōuictum, Ducatu

catu Bauariæ exuerat. Præcipua tunc  
fuit potentia in Saxonia Magni &  
Hermanni Ducum Saxonie: Ottonis,  
de quo dictum est: Ecberti Marchio-  
nis Saxonie, qui per Turingiam &  
Misniam latè imperitabat: Vdonis  
Marchionis Brandeburgensis. Ex hac  
Saxonum coniuratione aucti animis  
Episcopi, & in spem certam defensio-  
nis contra Imperatorem erecti, in eun-  
dem etiam cum Romano Pontifice con-  
spirant. Accusatur Imperator hæreseos,  
ob malè administratas res Ecclesie, &  
distributa non idoneis sacerdotia, qui  
fuit prætextus maximè plausibilis:  
Euocatur Romam ad dicendam cau-  
sam, condemnatur ad pœnas, quibus  
admissa crimina luat atq; expiet ad li-  
mina templorum in vrbe Roma, depo-  
sita dignitate ac maiestate Imperato-  
ris, totius anni spacio, sed ita, vt prius

sese nudis pedibus ad Pontificis genua  
prouoluat. Hæc dum Romæ fiunt, no-  
uis edictis Pontificijs turbatur Germa-  
nia. Rodolpho Sueuorum Duci, cui  
Henrici soror nupserat, mittitur coro-  
na cum inscriptione: Petra dedit Pe-  
tro, Petrus diadema Rodolpho. Iuben-  
tur Saxones Rodolphum sequi.

Imperator re cognita, properat re-  
dire in Germaniam, & subito, quantis  
potest copijs coactis, Rodolpho oc-  
currit. Quinto prælio victum ad  
Mersburgum & grauitè sauciatum  
profligat ex acie: Vbi cùm Rodolpho  
iam expiraturo, dextra quam in prælio  
amiserat, allata esset, nimis serò scelera  
& perfidiam Pontificum detestatus:  
Hæc (astantium Episcoporum agmen  
allocutus) inquit, dextra est, qua Im-  
peratori iuramento promissam fidem  
confir-



confirmavi. Hæc violata à me, vobis  
instigatoribus, fidei argumentum &  
nefarie perfidiæ vestræ testis est.

Ostendit Deus in hac Tragœdia,  
illustribus summorum Principum ex-  
emplis, adesse se legitimis Magistrati-  
bus, hosq̃ tegere ac tueri, & reprime-  
re iniustas ac seditiosas molitiones, iux-  
ta dictum: Qui gladium acceperit,  
gladio peribit. Deinde non oriri &  
interire, nec consistere Imperia casu,  
sed seruari ac mutari diuinitus. Deni-  
q̃ veram esse regulam, quam tradit fi-  
lius Dei, Vt Reges gentium dominen-  
tur: Ministri verbi non teneant Im-  
peria politica. Dederunt enim pœnas,  
quotquot consiliorum seditiosorum fue-  
runt autores & socij ex vtroq̃ ordine  
politico & Ecclesiastico. Nam & in  
autores Pontifices scelera redierunt

B 5 sua,

sua, & præcipuis Saxonum familijs  
extinctis, deuenerunt principatus ad  
alienos. Cum enim reparatis viribus à  
Rodolphi interitu, Hermannum quen-  
dam Imperatorem delegissent, quem  
Lotaringum alij, alij Saxonem fuisse  
prodiderunt, & hoc in oppugnatione  
cuiusdam oppidi, lapidis ictu miserè  
perempto, spem regni fecissent Eche-  
rto Marchioni Saxonie, qui Ecclesiam  
Naumburgensem condidit, Vincente  
fortuna Imperatoris, quanq̃ afflicti,  
frustra bellum instaurarunt. Cecidit  
in his bellis Otto Dux ad Visurgim,  
cum filijs, Conrado & Henrico Crasso.  
Ducum Saxonie stirpem clausit ma-  
gnus Dux Saxonie, squallore & sor-  
dibus carceris consumptus. Ecardo  
filio Ecberti Marchionis Saxonie, in  
molendino, non procul à Brunsviga  
oppresso & iugulato, concidit poste-  
ritas

ritas Henrici Aucupis. Vdone à Pri-  
mislao Obotritorum regulo pulso, &  
posteritate eius extincta, peruenit  
Marchia Brandeburgensis ad Alber-  
tum vrsu. Interfectus est & Lotha-  
rij pater Gebhardus comes.

Nec satis fuerat Pontificibus, ali-  
enos ad seditionem sollicitasse, nisi etiam  
ex Imperatore natos filios, Conra-  
dum primum, moxq; eo mortuo &  
Henricum ad societatem belli, contra  
patrem perpulissent, qui, ne inultos  
ferrent parricidij conatus, statutas ex-  
pressis quarti præcepti comminationi-  
bus pœnas persoluerunt. Nudata ergo  
ad hunc modum Saxonia Principibus,  
cum Marchiam Misnensem Henricus  
Pater attribuisset Thimoni Bithiniæ  
domino, conditori stirpis Marchio-  
num Misniæ, Filius, qui se cum Sa-  
xonibus contra Patrem coniunxerat,  
vt

vt partam obsequijs beneuolentiam do-  
nationibus confirmaret, creat Ducem  
Saxonie Lotharium, & concedit, vt  
simul teneret, quæ à coniuge filia Hen-  
rici Crassi, quæ item à socru, sorore  
Echardi Marchionis accesserant. Ita  
Lotharius beneficio & concessione  
Imperatoris, totam complexus Saxo-  
niam, ex fortuna tenui ad potentiam  
amplam & illustrem euectus est. Sed  
non longa nec durabilis fuit hæc à non  
bonis orta principijs, amicicia. Nam  
cùm iisdem postulatis Pontificum  
Henricus filius aduersaretur, quæ pa-  
ter detrectarat, nouis incitationibus  
Pontificum coniunctione dissoluta,  
bellum recrudit, in quo cùm Lotha-  
rius Pontificias partes defendens co-  
pias Henrici quinti deleuisset, Impera-  
tor à fortuna destitutus & fractus ac  
defatigatus pertinaci improbitate Pon-  
tificum,

tifi  
si e  
tan  
sta  
pru  
dis  
prin  
luti  
Tan  
Po  
&  
De  
ac f  
Eta  
Po  
fibi  
tion  
fect  
tege  
de J  
xiss

tificum, tandem de suo iure cessit. Et  
si enim princeps fuit non cōtemnendus,  
tamen neq; animi magnitudine atq; con-  
stantia neq; industria militari, nec civili  
prudentia, neq; successu in rebus geren-  
dis, patri par fuit, qui, vt maximè in  
prima etate liberius vixerit ac disso-  
lutius, vt fuit educatus indulgentius:  
Tamen non licuit propterea turbare  
Pontificibus Imperij tranquillitatem,  
& vetera ac necessaria iura conuellere.  
De quibus, quod dimicavit constanter  
ac fortiter, non multò clementius tra-  
ctatur in historijs, ab adulatoribus  
Pontificum, quàm ab ipsis est Ponti-  
ficibus exagitatus. Sed cùm ab ambi-  
tione & crudelitate Pontificia pro-  
fectas causas, ne ipse quidem scriptores  
tegere prorsus ac dissimulare possint,  
de scriptis eorum respondeo, quòd di-  
xisse Leones, in fabulis est, visa sta-  
tua,

tua, in qua Leonem homo strangula-  
bat, Aliter hanc luctam expressuros  
fuisse Leones, si sculpere didicissent.  
Fuit omnino Henricus quartus, vnus  
ex summis bellatoribus, qui cum sex-  
agies bis, acie conflixerit, sæpius  
Victor quàm victus, fœliciter & ex-  
ternos hostes repressit, & domesticos  
motus compressit. Nec cum Pontifi-  
cibus de lana caprina contendit, sed de  
re summa, qua concessa, ruituram Im-  
peratorum autoritatem, & maiesta-  
tem Imperij collapsuram prospiciebat,  
sicut res docuit. Has Pontificum ar-  
tes & machinationes nefarias ac scele-  
ratas, & ab Episcoporum munere alie-  
nissimas, parasiti ipsorum alto pre-  
munt silentio, tantum Tragicè exag-  
gerant, si quid vel Rege puero, à tuto-  
ribus, vel ab ipso iuuenilibus annis pec-  
catum est, de quibus, cum cesserit &  
seuitiæ

Jæn  
eum  
diti  
qua  
red  
  
rum  
ad  
acri  
tun  
nidj  
met  
cys  
imp  
tu  
Chr  
aus  
rius  
riur  
los

*Sæuitiæ & censure Pontificum, cur  
eum crudeliter persequi, cur omnia se-  
ditionibus miscere, vt extorquerent  
quæ flagitabant, non destiterunt? Sed  
redeo ad Lotharium.*

*Henrico quinto mortuo, Episcopo-  
rum consilio, deposcitur atq; euehitur  
ad Imperium hic noster Lotharius, vir  
acris, industrius, iustus, sapiens, for-  
tunatus: Sed qui Pontificiæ tyran-  
nidj nimium concessit & indulgit seu  
metu seu superstitione, quæ ab his ini-  
cijs, eò vsq; progressa est audaciæ atq;  
impudentiæ, vt non contenta principa-  
tu Ecclesiæ, Monarchiam etiam orbis  
Christiani appetere ac tentare fuerit  
ausa, & conata sit opprimere. Lotha-  
rius ergò plurimorum suffragijs Impe-  
rium consecutus, occupata contra æmu-  
los Suenos Germania auxilio generi  
Henrici*

Henrici Leonis Ducis Bauariae, & hostibus terrore potentiae potius, quam praelio deuictis, primum in patria sese confirmat. Mox & Italia potitus, cum videret vtrique necessariam esse pacem, hoc agit ante omnia, vt vtraque longis ac diuturnis bellis, ceu nauim procellis quassatam ac fatiscentem reficiat atque instauret, omnibus bellorum causis praecisis. Id perfecit sublatis in Italia Pontificum dissidijs, & ex Apulia pulso Rogerio Siciliae rege: In Germania Boiemorum tumultibus sedatis, & reconciliatis animis, qui mutuis adhuc flagrabant odijs, ex recenti civilium bellorum memoria, sicut Athenas restituit Thrasybulus sancita amnistia. Sed pacem in Italia non fore diuturnam arbitratus, in tanta & Legum dissimilitudine & iudiciorum diuersitate, quam peregrinarum gentium commixtiones

xti  
ven  
cell  
de c  
eme  
ber  
tor  
nion  
He  
nop  
gub  
cos,  
ex  
Fra  
de p  
ger  
is er  
sit  
tra  
gru  
&



xtiones inuexerant, ideò cum secundo  
venisset in Italiam, iam senex & ante-  
cellens autoritate ac potentia, deliberat  
de constitutione iudiciorum & Legum  
emendatione. Adhibetur ad eam deli-  
berationem Irnerius, qui in Italia, au-  
toritate, & prudentiæ ac iusticiæ opi-  
nionem excelluerat inde usq; à temporibus  
Henrici quinti, quod, cum Constanti-  
nopoli didicisset Leges Romanas, & in  
gubernatione esset, sæpè ritus barbari-  
cos, in successionibus & alijs negocijs,  
ex Gottorum, Longobardorum &  
Francorum consuetudinibus reliquos,  
de præscripto Romani iuris aut corri-  
geret aut moderaretur. Consultus  
is ergo, ostendit Lothario, quantum  
sit allatura boni Imperio & publicæ  
tranquillitati, eadem vox legum, con-  
gruens rationi, & iusticiæ conformis,  
& hortatur Imperatorem, vt mandet

C      Iudicibus

Indicibus suis, ut de causis decernant  
ac pronuncient ex iure Romano. Ne  
verò desit illius copia, profert ex Bi-  
bliothecis libros scriptos, & ut exco-  
latur ac notum fiat, suadet, ut Bono-  
nie veteri more, aperiatur schola Iuris  
consultorum. Ibi enim Theodosius  
Imperator, Legum interpretes collo-  
carat, hoc, ut opinor, consilio, ut qui  
sequi aulas antea & castra Imperato-  
rum consueuerant, legum Doctores,  
postea certo in loco & doctrinam pro-  
fiterentur, & de iure interrogati re-  
sponderent. Quo consilio in Germa-  
nia Camera iudicium, sicut apud Græ-  
cos Amphictyonium institutum memi-  
nimus. Repetit Imperatori longa nar-  
ratione originem & antiquitatem Iu-  
ris Romani, cuius initia populus Ro-  
manus, ut natura horridior & asue-  
tus ac deditus bellis, acceperit à culti-  
ore

ore gente Græca, cum studijs humani-  
tatis. Commemoratur, quales eodem  
tempore Respub. alibi floruerint. Ut  
Carthaginensis Imperij æmula, arma  
Romana exercuerit, & in ea gente  
virtutem atq; industriam bellicam au-  
xerit atq; acuerit. Attica verò, Rho-  
dia & Massiliensis, quæ Phocensium  
in Ionia, colonia fuit, vt ingenia Ro-  
mana emollierint paulatim & flexe-  
rint, eloquentiæ & sapientiæ studijs  
traducta ad humaniorem viuendi ra-  
tionem. Ut leges Romani suas per de-  
cemuiros colligi ac conscribi curaue-  
rint, cum ex Atticis legibus Solonis,  
tùm ex alijs Græcarum Urbium con-  
stitutionibus, vt ex legibus Zaleuci  
apud Locros, Charondæ apud Thu-  
rios. Ex his demum, quomodo leges  
duodecim tabularum, pluribus, quæ ad  
Rempublicam pertinerent intextis,  
C 2 conflata,

conflatae, & exemplo Atheniensium  
harum interpretes fuerint constituti,  
qui leges enarrarint, & consulti de iure  
pronunciarent. Denique quomodo his  
initijs creuerit studium Legum, & pro-  
pagatum sit atque conseruatum Romae,  
in Beryto, Constantinopoli, & tandem  
in Italia Bononiae usque ad Gothicas &  
Longobardicas irruptiones, quibus op-  
pressa vox Legum conticuerit, & de-  
suerit usus earum atque cultura. Hae-  
c dum recenset, exaggerat & recentes  
dilacerationes Italiae, quas pepererant  
bella Henrici III. & quantum pub-  
licis dissidijs dirimendis ac sopiendis, re-  
stitutio iuris Romani profutura sit, de-  
monstrat. Placuit sapienti Imperatori  
consilium Irnerij, cumque deesset lector,  
ipse iam aetate grandis ad scholas redit,  
& docendi laborem suscipit, ut posteri-  
tati consulat. His initijs instaurata Le-  
gum

gum doctrina paulatim in alias atq; ali-  
as Italiae vrbes, indeq; in Galliã & tan-  
dem in Germaniam propagata est, quæ  
quantum lucis attulerit controuersijs  
dubijs, quantum opis Rebuspub. expo-  
nere nimis foret longum. Cõstitutis hoc  
modo rebus in Italia, Lotharius redi-  
turus in Germaniam, per Tridentinam  
Vallem, Veronæ morbo corripitur, quo  
tandem in itinere extinctus est, cum  
ante iter Italicum amisso filio & mas-  
cula prole desperata, Henricum Leo-  
nem Bauarum Saxonie Ducem, atq;  
illius partis hæredem: Alterum gene-  
rum Ludouicum, cuius auum Ludoui-  
cum Barbatum Conradus Saliquus co-  
mitem in parte quadam Turingiæ fece-  
rat, totius Turingiæ & Hassiæ vicina  
comitem prouincialem instituisset. De-  
cessit autem anno Imperij 13. Salutis  
nostræ 1140.

C 3

In

In huius gubernatione duo præcipue opera Principi conuenientia & laude digna sunt, quòd pacem Germaniæ & Italiæ reddidit, & restituta legum doctrina, formam iudiciorum emendauit. Hæc beneficia vt maxima sunt, sic grata commemoratione ea nos celebrare decet.

Cumq; gratitudo duas complectatur virtutes: Veritatem, quæ agnoscit vnde profecta sint beneficia & autorem celebrat: & iusticiam, quæ se obligat ad mutua officia, agnoscamus & nos Lotharium fuisse vnum inter salutare Principes generis humani, cui Italia quanq; externo & peregrino, tamen eam tribuit laudem, vt post Carolum Magnum à nullo ex Imperatoribus se maioribus beneficijs affectam esse profiteatur. Et DEO agamus gratias, quòd

quòd & talem dederit Germaniæ Prin-  
cipem, & per hunc Legum doctri-  
nam, vsum & auctoritatem restituerit,  
precemurq; ardentibus votis, vt hæc  
sua dona conser-

uet.

FINIS.



C 4

Decanus

ci-  
nu-  
nie  
um  
da-  
nt,  
lea  
  
ta-  
cit  
to-  
bli-  
G  
lu-  
ta-  
en  
um  
se  
ro-  
us,  
òd

DECANVS COL  
LEGII IVRISCONSVL

torum in Academia Vuitebergensi,

Iohannes Schneide weim I. V. Do-

ctor S. D. Lecto-

ri.



Vtilissimum est assuefacere  
mentes, vt sæpè cogitent de  
Legum fontibus, ac neces-  
sario earum vsu, & vt to-  
rum ordinem politicum venerentur, &  
pijs precibus conseruationem eius à Deo  
petere discant. Primùm enim noticiæ  
naturales, quæ discernunt rectum à non  
recto, & similes aliæ sententiæ nobis-  
cum nascentes, sunt illustria testimonia  
de Deo & de prouidentia. Ostendunt  
enim naturam humanam non casu ex  
Democriti atomis confluisse, sed ma-  
gna arte & sapientia conformatam esse

à crea-





Hæ cogitationes sæpè repetitæ  
confirmant assensionem de Deo & de  
prouidentia, & abducunt mentes à  
Cyclopicis opinionibus, & prosunt ad  
disciplinam, excitant & alunt amo-  
rem Legum & ordinis politici. Cùm  
enim cernunt animi leges esse riuulos  
deriuatos ex æterna Dei sapientia, &  
conseruationem societatis humanæ ac  
pœnas sceleratorum esse opera DEI,  
concupiunt amorem & reuerentiam er-  
ga leges, & obediendi legibus studi-  
um, seq̃ ad tuendum omnibus officijs  
ordinem politicum, de legum præscri-  
pto incitant & flectunt.

Syracidis dictum illustre est :  
Ανὴρ σοφὸς οὐ μισήσκει νόμον, δὲ ὑποκρινόμε-  
νος ἐν αὐτῷ, ὡς ἐν καταγίδι πλοῖον.  
Id est : *Vir sapiens non odit legem, Qui  
verò est hypocrita in ea, est velut in  
tempestate*

tempestate cymba, id est, simulator, qui  
non verè assentitur voci diuinæ, qui  
legem putat fabulam esse astutè exco-  
gitatam ab hominibus pacis causa, aut  
vt Hippias apud Platonem: τὸ γὰρ νόμον  
καὶ οὐκ ἀεὶ διαζόμενον τοὺς ἀνθρώπους κατὰ τὴν  
φύσιν, eò quòd vagabundas hominum  
cupiditates frenet ac coherceat, Is erit  
vt cymba in tempestatibus, iactabitur  
fluctibus cupiditatum & Diabolorum  
impulsionibus, & tandem sine consola-  
tione ruet in exitium æternum, vt ru-  
unt Tyranni, qui sic sentiunt, vt in Tra-  
gædia dicitur:

Sanctitas, Pietas, Fides  
Priuata bona sunt, quâ iuuat Reges  
eant.

Vt autem conseruetur legum auto-  
ritas, & ad cognitionem doctrinæ le-  
gum, inuitentur & adducantur Iunio-  
res,

res, sapienti grauiq̄ consilio institutum  
est, vt in Academijs sonet vox legum,  
& per idoneos interpretes enarretur.  
Deinde vt rectè eruditi, & quorum  
eruditionem & sapientiam spes est vsui  
futuram esse publicæ gubernationi in  
demonstrandis ac declarandis iusticiæ  
fontibus, ornentur testimonio publico.

Cùm ergò in Academia nostra  
multos annos operam dederit doctrinæ  
Iuris, vir eruditione & virtute præ-  
stans **VICTOR OTTINGVS**  
**REVALIENSIS**, cum magna  
laude eximiæ diligentie, & profectu-  
um suorum, cùm sæpè aliàs, tum secun-  
dum leges & instituta scholæ nostræ  
hisce diebus eximium ediderit speci-  
men publicæ & priuatim, & confida-  
mus magnū eius in doctrinæ propaga-  
tione & gubernatione iusticiæ, quæ re-  
git

git & continet Imperia, politias &  
iudicia, vsum futurum esse, decretum  
est Collegij nostri sententia, vt confe-  
rantur ei insignia Doctōratus in vtroq;  
Iure solenni & publica renunciatione.  
Huic renunciationi destinata est dies  
3. Febr. Id significare publicè volui.

Hortor autem Scholasticos no-  
stros, vt eo die in templo Arcis conue-  
niant frequentes, cū vt declarent su-  
am erga Deum pijs precibus gratitu-  
dinem: reuerentiam verò erga doctri-  
nam legum tanquàm rem sacram à Deo  
profectam, ac prouidentiae diuinæ be-  
neficio consistentem, quæ societatis hu-  
manæ neruus est præcipuus, sine quo  
aut tyrannidem beluinam, nullis in-  
clusam carceribus, aut Anarchiam ty-  
rannide deteriorem dominari necesse  
sit:

fit: tūm, vt ostendant se amare ac ve-  
nerari hos publicos congressus, qui pre-  
cum & vtilium commonefactio-  
num causa celebran-  
tur.



VVITEBERGÆ  
EX OFFICINA HÆREDVM  
GEORGII RHAVV,  
M. D. LXL

Des  
pre  
io



M V

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.




Faint, illegible text in the lower middle section of the page, possibly bleed-through from the reverse side.



ax 11 1768

M.C.





Q.k. 122, 2.

Orat. Weimb. T. V. p. 423. 17550.

ORATIO  
DE LOTHARI  
SAXONE,

RECITATA A CLA-  
RISSIMO VIRO IOHANNE  
SCHNEIDEVVEIN I. V. DO-  
ctore, & Professore in Academia  
Vuitebergensi, cum insignia Doctora-  
tus in vtroq; Iure conferret doctrina &  
virtute praestanti viro VICTORI  
OTTINGEN Reualiensi, Die  
3. Februarij, Anno Domi-  
ni 1561.



WVITEBERGÆ  
EX OFFICINA HÆREDVM  
GEORGII RHAVV,  
M. D. LXI.

(X 7997893)

